

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXXVIII. Continens Historiam De Febricitante Socru Petri Sanata,  
Matthæi 8. Marci. 1. Lucae. 4.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

sione & jactatione senserint: sed quod nulla pars corporis nocumento aliquo mutilatione aut nota aliqua laesa fuerit, sicut ex tali jactatione naturali modo fieri necesse fuisset. Significat etiam, quod exeunte diabolo, homo statim sine laesione aliqua, & sine reliquis debilitationis integrè restitutus fuerit. Hieronymus hac descriptione jactationis existimat hoc significari, quod diabolus, quando hominem ex suo imperio cogitur dimittere, tunc demum hostilius ipsum invadat, jactet, & quasi discepturus convellat. Pharaon enim, quando cogitur dimittere filios Israël, tunc hostiliter persequitur eos: & diabolus contemtus confurgit in scandala, sicut inquit Hieronymus. Sed ringatur sanè & infaniat, præsentè Filio Dei, & efficaciam suam per Verbum, ut in hac historia, exereunte, nihil nocere potest.

Hæc est descriptio miraculi. Fructum verò, qui consecutus est, Evangelistæ ita describunt, (*Stupor cepit omnes,*) qui singula hæc, sicut gesta fuerant, ipsi & audierant & viderant. Significat autem (*θαυμάσιον,*) quando animus admiratione ita percellitur, ut quali attonitus reddatur. Rectè autem fecerunt, quod miraculum illud ad doctrinæ & commendationem & confirmationem retulerunt. Cœperunt enim & in ipsa synagoga, & cum egressi essent, inter se colloqui. Et Marcus utitur pulcherrimo vocabulo (*συνήρην,*) quod est, collatis argumentis & sententiis per mutuas interrogationes & responsiones disputando aliquid disquirere. Syrus habet: (*Querebant unus cum altero.*) Dicunt igitur: (*Quid hoc est? quod est hoc verbum?*) Quidam sentiunt, in verbis Lucae Ebraismum esse, ut verbum pro facto intelligatur, scilicet: Quale hoc factum est? vel, Quid hoc rei est? Theophylactus intelligit de verbo, quo Jesus dæmoni imperavit, ut exiret. Sed Marcus hoc loco λόγον interpretatur de doctrina Christi, ut sensus sit: Videmus illustrem ostensionem, quale sit hujus Doctoris Verbum, & qualis doctrina, divina scilicet, efficax, & potens contra ipsas inferorum portas. Eodem enim verbo, quo doctrinam proponit, etiam spiritibus immundis imperat, idque non per orationem, ut Exorcistæ, sed ut Dominus κατ' ἐξουσίαν, id est, pro imperio. Nec ut præstigiatores solent magicis verbis dæmonas adjurare: sed (*ὡς δυνάμει imperat.*) Adest enim imperio vis, potentia, & efficacia, ut immundi spiritus exeundo fateri cogantur, se hujus verbi

imperio subjectos & constrictos esse. Ex tali enim *αὐτιδέσει* vocabula Lucae ἐξουσία & δυνάμει, simplicissimè intelligi possunt. Marcus auditorum verba ita recitat: (*Quæ est hæc nova doctrina?*) Possunt autem hæc dupliciter intelligi, vel ut sensus sit: hæc certè est alia doctrina, quàm vulgaris Scribarum. Efficaciam enim, & virtutem suam exerit, non tantum in auditorum animis: verum etiam in ipsis immundis spiritibus. Vel potest hic sensus esse: Pharisei hanc doctrinam novitatis titulo volunt infamem reddere, & sanè dissentit à receptis synagogæ opinionibus: sed certè hæc doctrina nova probatur & confirmatur talibus miraculis, quæ Verbi potentiam in ipsis etiam immundis spiritibus ostendunt. Utraque sententia vera est, sed secunda videtur plenior esse.

Addunt autem Evangelistæ famam de Jesu divulgatam. Illi enim sermones non in synagoga, nec finibus urbis Capernaum inclusi manserunt: sed propter opportunitatem loci, quia Capernaum metropolis erat, ad quam propter commercia ex variis locis homines conveniebant, fama illa, de doctrina & miraculis Christi, celeriter omnia loca, & Galilææ, & quæ fines Galilææ attingunt, implevit. Et propter hanc causam, sicut antea diximus, Christus habitationem suam transtulit Capernaum. Doctrina enim Evangelii indè facilius poterat spargi, non tantum in civitates vicinas, verum etiam in regiones finitimas; sicut hoc loco Evangelistæ restantur. Lucas simpliciter vocat περὶ χωρον. Et possit videri esse interpretatio vocabuli Galilææ, quod significat regionem circumjacentem. Marcus verò addit τὴν περὶ χωρον Galilææ. Est enim ἡ περὶ χωρον generalis appellatio de locis civitatem aut regionem circumjacentibus. Ut Genes. 13. v. 10. & 11. & 19. v. 17. Græci loca Jordani circumjacentia, ubi Sodoma fuit, vocant τὴν περὶ χωρον Jordani. Et Matthæus cap. 3. vers. 5. planè etiam ita loquitur: regionem finitimam Jordani exiisse ad Baptistam. Deut. 34. v. 3. Græci vocant τὰ περὶ χωρα Jericho. Esther. 9. vers. 12. regio, quæ circa Susan metropolin sita est, vocatur περὶ χωρον. Matth. 14. v. 35. est περὶ χωρον terra Genezareth. Et hoc loco est περὶ χωρον Galilææ. Intelligendum autem esse non ipsam tantum Galilæam, sed finitimas etiam regiones, ex fine quarti capituli Matthæi colligitur, ubi numerantur Judæa Transjordanis, Decapolis, & Syria.

## CAPUT XXXVIII.

## CONTINENS HISTORIAM DE FEBRICITANTE SOCRO PETRI SANATA, MATTHÆI 8.

MARCI I. LUCAE 4.

## RATIO ORDINIS.

**I**N hac historia εἰρησὶς ἀνολιῶν, sicut Eusebius loquitur, hoc est, ante quid, & post quid, (sicut Augustinus inquit,) hæc historia facta sit, manifestè patet. Lucas enim dicit, Jesu, cum post sanatum dæmonicum ex synagoga Capernaica sur-

rexisset, venisse in domum Simonis. Marcus verò adhuc certiolem notationem temporis & ordinis ponit. Post sanatum enim dæmoniacum, mox subjicit: (*Et protinus è synagoga egredientes, venerunt in domum Simonis.*) Eadem igitur die, post præcedens miraculum, accidit hæc historia. Cumque mox, post vocationem

Dd 3

cationem

cationem Petri, præcedens miraculum factum esse, ex Marco constat: manifestum est, Matthæum, qui cap. 8. v. 14. post sanatum servum centurionis, de focru Petri scribit, non servasse ordinem, sed cum in mentionem Capernaum incidisset, addidisse per recapitulationem illud de focru Petri,

quod antea ibi factum in præcedentibus omiserat. Unde & tali usus est Matthæus locutione, quæ non necessario exigit ordinem consequentiarum, quæ narrantur. Dicit enim: (Et cum venisset in domum Petri, &c.) Ratio igitur ordinis hujus historiarum certa & manifesta est.

HISTORIA DE SANATA SOCRU PETRI FEBRICITANTE,

MATTH. 8.

- 14. Καὶ ἔλθων ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρον, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτοῦ βεβλημένην καὶ πυρετώσαν.
- 15. Καὶ ἤψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετός, καὶ ἤγειρεν, καὶ διηκόνει αὐτοῖς.

- 14. Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum illum in lecto decubentem & febricitantem.
- 15. Tetigit manum illius, & reliquit illam febris: & surrexit, ac ministravit illi.

MARC. 1.

- 29. Καὶ εὐθέως ἐκ τῆς συναγωγῆς ἐξεληθόντες, ἦλθον εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος καὶ Ἀνδρέου, μετὰ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου.
- 30. Ἡ δὲ πενθερὰ Σίμωνος κατεκείτο πυρετώσα, καὶ εὐθέως λέγασιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς.
- 31. Καὶ προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετός, καὶ διηκόνει αὐτοῖς.

- 29. Et protinus e synagoga egressi, venerunt in domum Simonis & Andreae, cum Jacobo & Johanne.
- 30. Socrus autem Simonis decubebat febricitans, & continuo dicunt ei de illa:
- 31. Et accedens erexit eam apprehensa manu ejus: Et reliquit eam febris illico, ac ministrabat eis.

LUC. 4.

- 38. Ἀναστὰς δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς, εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος· ἡ πενθερὰ δὲ τοῦ Σίμωνος ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ, καὶ ᾠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς.
- 39. Καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς ἐπέτιμησε τῷ πυρετῷ, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν, καὶ παραχρῆμα ἀναστὰς διηκόνει αὐτοῖς.

- 38. Cum surrexisset autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur febris magna: Et rogaverunt illum pro ea.
- 39. Et astans supra illam increpavit febrem: & febris dimisit illam: statimque surgens ministrabat illi.

HARMONIA HISTORIÆ DE FEBRICITANTE SOCRU PETRI SANATA, EX DESCRIPTIONIBUS MATTH. 8. MARC. 1. LUC. 4. IN UNUM CORPUS COAGMENTATA.

c Αναστὰς ἡ ἐκ τῆς συναγωγῆς, εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος· b καὶ εὐθέως ἐκ τῆς συναγωγῆς ἐξεληθόντες, ἦλθον εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος καὶ Ἀνδρέου, μετὰ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. h ἡ πενθερὰ Σίμωνος· b κατεκείτο πυρετώσα, c ἢ (2d) συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ· b καὶ εὐθέως λέγασιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς, c καὶ ᾠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς. a καὶ ἔλθων ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρον, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτοῦ βεβλημένην καὶ πυρετώσαν. b καὶ προσελθὼν α ἤψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, b καὶ ἤγειρεν αὐτὴν κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς· c καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς ἐπέτιμησε τῷ πυρετῷ, l καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετός b εὐθέως, a καὶ ἤγειρεν· c παραχρῆμα δὲ ἀναστὰς l διηκόνει αὐτοῖς.

c Cum surrexisset autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis: b Et protinus synagoga egressi, venerunt in domum Simonis & Andreae, cum Jacobo & Johanne. h Socrus autem Simonis b decubebat febricitans, c tenebatur (enim) febris magna: b Et continuo dicunt ei de illa, c & rogaverunt illum pro ea. a Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum illum in lecto decubentem & febricitantem. b Et accedens a tetigit manum illius. b & erexit eam apprehensa manu ejus: c & astans super illam increpavit febrem, l & reliquit eam febris b illico, a & erecta est: c statimque cum surrexisset, l ministrabat illi.

Periocha hujus Historiæ.

Factum fuit hoc miraculum circa illud tempus Sabbati, quando ex synagoga egrediebantur ad manducandum panem. Quæ enim illo ipso die Sabbati post occasum solis gesta sunt, postea describuntur. Et Simonem invitasse Jesum cum Andrea, Jacobo, & Johanne ad prandium, sicut moris erat in Sabbatis, Luc. 7. v. 36. & 14. v. 1. inde colligitur, quod focrus sanata administrat ipsis. Jesus igitur, post tam insigne miraculum sanati demoniaci, non dedignatus est causam piscatoriam subire, cum invitatus esset. Vocatur autem Johan. 1. v. 44. Bethsaida civitas Andreae & Petri. Domum igitur, quam nunc Petrus habet Capernaum, videtur ratione conjugii sortitus fuisse. Non enim hospitium Petri intelligi potest. Socrus enim ipsius in illa domo decumbit. Vel, quod propter commodiorem piscationis & negotiationis rationem habitationem ex patria Bethsaida transulerit Capernaum. Sed ut sit, utilius hoc loco observari potest, qualis fuerit desertio Apostolica, quando relictis omnibus secuti sunt Chri-

stum. Nam post desertionem illam adhuc est & vocatur domus Simonis & Andreae, cujus proprietatem & dominium ita sibi vindicat, ut convivium in illa instruat. Et postea etiam Matth. 17. vers. 24. tanquam civis Capernaiticus didrachma solvit. Et post resurrectionem Johan. 21. vers. 11. utitur naviculis & retibus tanquam suis. Matthæus etiam post vocationem domo & facultatibus suis ita utitur, ut ibi & inde convivium pro multis instruat. Johannes etiam, post crucifixum Christum, Mariam recepit in propria. Apostolica igitur desertio non fuit abdicatio proprietatis domini, & usus facultatum, sed ab administratione & usu tunc abstinuerunt, quando aliis Apostolicæ vocationis laboribus occupati fuerunt. Quando verò res & occasio ita ferebat, ut nihil impedimenti objiceretur iis, quæ ad vocationem Apostolicam pertinebant, liberè facultatibus suis usi sunt, quarum proprietatem & dominium in ipsa desertione sibi retinuerunt, sicut & hæc & alia, quas notavi, historia ostendunt. Alia

Alia verò fuit desertio, ad quam Christus juvenem pharisæum vocavit, Matth. 19. v. 21. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, veni, & sequere me. Et post missionem Spiritus, ratio Apostolatus, cum in omnem terram ad prædicandum Evangelium ipsis exeundum esset, non permisit, ut ad sua redirent.

(*Socrus*) igitur (*Petri*) (uxorem enim ipsum habuisse, ex hac historia manifestissime colligitur,) (*laborabat febris*), non levi aut remissa aliqua, sed adeo vehementi, ut planè decumberet, Lucas vocat magnâ febrim. Syrus reddidit πυρ, ignem seu ardorem magnum. Utitur etiam Lucas verbo σπείχεται, quod de morbis vehementioribus, qui totam naturam affligunt, Matth. 4. v. 24. usurpat. Et medicis frequens ejus est. Plutarchus etiam in Catone inquit: σπείχεται τὸ τῶν πένθε. Et hæc descriptio ideò præmittitur, ut miraculi magnitudo ostendatur. Verula enim jam erat, (ut pote mater uxoris Petri,) & in febribus tales febres sunt periculose & lethales, quæ per naturam, cuius vires prostratæ sunt, ægrè curari possunt. Cum igitur Jesus venisset in domum Simonis, quatuor illi discipuli cõperunt eî narrare, sicut Marcus inquit, de morbo hoc socrus Petri. Forsan enim in peculiari cubiculo decubuit, ut à Jesu ingrediente domum non statim conspiceretur. Fuisse autem ipsam diu hoc morbo conflictatam, inde colligitur, quòd Johannes & Jacobus, qui in aliis aedibus habitaverant, simul cum Simone & Andrea exponunt Christo, quod genus morbi sit. Lucas addit, ipsos non tantum narrasse: sed ex iis, quæ audiverant & viderant, concepisse talem fiduciam, ut orarent Christum pro febricitante. Apostolicum enim est, & Christo non ingratum, orare pro ægrotis. Non autem post prandium demum recordati sunt febricitantis; sed sicut Marcus inquit, statim cum ingressi essent domum, priusquam discumbent, mentionem injiciunt decumbentis socrus. Charitas enim non tunc demum recordatur miseriam proximi, quando sua curavit: sed sui quasi negligens, sollicita est de proximo. Chrysofomus verò ita hoc interpretatur, quòd Apostoli non expectarint occasum solis, sicut reliqui cum suis ægrotis: sed statim ipso die Sabbati eam sanare petierint. Et Christus ideò, non verbo tantum, sed tangens, apprehendens, & erigens sanavit eam, ut ostenderet, talia opera non pugnare eum sanctificatione Sabbati, sicut vulgò tunc per suam erat. Christus igitur, ut facilitatem suam, in exaudiendis discipulorum suorum precibus, ostenderet, plus, quàm ausi fuerant petere, ipsis largitur. Non enim verbo tantum eam sanavit sicut filium reguli febricitantem, Johan. 4. vers. 50. sed peculiare adhibuit gestus: 1. Accessit ad eam, ubi scilicet decumberet, sicut Marcus inquit: 2. Apprehensa manu erexit eam: 3. Astitit supra febricitantem: non quòd steterit super illam, quasi pedibus eam calcans, sed quòd ita illi astiterit, ut inclinato corpore quasi incubuerit supra illam. Hoc enim Græcè est ἐπιπέσει ἐπὶ αὐτῆς: 4. Tetigit manum ejus: 5. Increpavit febrim. Et illico febris illam reliquit, ita ut statim se erigeret, sicut Matthæus inquit, & in illo adhuc prandio ministraret Christo & reliquis. Marcus enim adverbium ἐνδὲς usurpat, quando febris illam reliquit. Lu-

Harmon. Tom. I.

cas verò inquit: παραχρῆμα surgens administrabat illis. Et Hieronymus rectè inquit: Natura hominum ejusmodi est, ut post febrim magis lassescant corpora, & incipiente sanitate ægrotationis mala sentiant. Ostensio igitur est virtutis Christi, quòd hanc mulierculam, quæ febrim diu conflictata, & ita exhausta erat, ut lecto affixa decumberet, ita sanavit, ut sine reliquiis debilitationis statim & sanitatem & vires integrè recuperaret. Simul verò docemur, quando spiritualiter sanati sumus, ut membra nostra præbeamus arma justitiæ Dei, & ipsi serviamus in justitia & sanctitate coram ipso, inservientes proximo & membris Christi: sicut hæc muliercula Christo & discipulis ministrat. Quòd autem sanatam apprehensa manu erigit, pulcrè significatur gratia renovationis, quam Augustinus vocat sublequentem & adjuvantem. In hac verò depulsione febris, quod genus morbi cæteris, quæ humana ope immedicabilia sunt, non est comparandum, Christus tam operosam, ut ita loquar, actionem instituere voluit, ut ostenderet, non in arduis tantum, verum etiam in parvis seu minimis, quæ assiduitate vilescunt, præsentiam, bonitatem, & potentiam Dei animadvertendam & agnoscendam esse.

Duo autem principaliter in hac descriptione observanda sunt: Primo, quòd depulsurus febrim, & restitutus justam & debitam primam qualitatum crasin, primò tangit manum febricitantis, & postea apprehensam erigit. Ita enim distingui possunt circumstantiæ. Quia Matthæus utitur verbo ἀπιδραῖν, quod significat simpliciter tangere. Marcus verò, cum de erectione loquitur, ponit verbum κρατῆν, quod apprehendere significat. Chrysofomus habet bonas cogitationes, Christum tetigisse arteriam in eo loco, ubi expulsu temperamentum qualitatum explorari solet, ut hoc contactu manus suæ ἀραταίαν temperaret, & cor refrigeraret.

Hoc verò certius est, & utilius observari potest, quòd ex miraculis Christi, quæ descripta sunt, hoc primum est, ubi non verbo tantum sanat; sed adhibet etiam contactum carnis suæ. Cyrillus piè sentit, ideò hoc factum esse, ut ostenderet, reparationem seu restitutionem generis humani pendere non tantum ex divinitate Christi, verum ad illam etiam simul adhiberi massam illam humanæ carnis, quam Filius Dei in unitatem personæ suæ assumpsit. Divinitas enim in illa habitat, non effectivè tantum, sed & corporaliter, ita ut caro Christi totam vitam vivificantem in se habeat, & ita habeat, ut per vitam, quæ in carne illa ὑποστατικῶς habitat, & ibi quasi deposita est, peccatum, & ea, quæ per peccatum in naturam humanam ingressa sunt, in nobis depellantur, & vita restituatur, quæ in hac vita incoantur, perfecta autem erunt in altero seculo. Carnem igitur suam esse vivificantem, voluit visibiliter ostendere in sanationibus. Ideò ne humanam naturam in Christo à negotio redemptionis & vivificationis excludamus. Hæc est Cyrilli sententia, quæ alias plenius explicatur.

Secundò observandum est & illud, quod in depulsione febris utitur verbo increpandi. Ἐπιτιμῶν enim vulgò significat aliquem objurgare, aut aliquid interdiceret additis comminationibus poenarum. Ἐπιτιμία enim significat mulctam seu poenam.

D d 4

poenam:

pœnam : Et in communi lingua durior videtur translatio, ut de inanimatis dicatur, quod in Scriptura usitatum est, addita præpositione Beth, quæ increpationem ad ipsa inanimata dirigit. Dicitur enim increpari mare à Domino, Psal. 104. v. 7. & 106. v. 9. Esa. 50. v. 2. Nahum. 1. 4. & fera arundinis, Psalmo 68. v. 3. Ita in Novo Testamento dicitur de mari, Luc. 8. v. 24. & de febris in hac historia. Elegans autem est hujus verbi significatio, quod Deus dicitur increpare gentes, Psal. 9. v. 6. Superbos, Psal. 118. v. 21. Satanam, Zach. 3. v. 2. Luc. 4. v. 41. Significat enim, potentiam hostium non sine fine & modo pro libitu posse furere, quasi nullius imperio subjecta sit : Deum enim inspectorem ponere metas, ubi eos repressurus sit ; Idque ipsum tam facile posse efficere, ut saltem aliquo asperiori verbo opus sit ; tantamque esse divinæ increpationis efficaciam, ut ea etiam inanimata, sicut fluctus maris, compeſcantur. Hominis enim vox tantum ad animata commovenda efficax est : Dei verò vox, in omnes creaturas, etiam inanimatas, efficax est ; Dominus enim est omnium creaturarum, cujus voluntati & imperio omnia subjecta sunt. Et quia Christi vox idem etiam potest & efficit : divinam igitur naturam & potentiam ipsum habere rectè hic colligitur. Et in illo Sabbato ostendit Christus, verbum suum efficax esse, 1. in animis auditorum. 2. contra diabolum & portas inferorum. 3. contra morbos & calamitates, quæ per peccatum ingressæ sunt.

Increpatio autem febris hoc loco aliud præter-

ea significat. Sunt enim morbi & reliquæ calamitates, quasi carceres & carnifices, divino judicio impositi & immixti humanæ naturæ peccato depravata. Christus verò Mediator cum advocatus conspiceret febrim, quasi fines mandati excedentem, nimis duriter in focru Petri affligere illam carnem, quam ipse redempturus assumserat, commiseratione motus, febris indignatur, & increpatione compeſcit, coërcet, & profligat eam. Sicut igitur Dei nutu, jussu, & imperio, calamitates propter nequitiam immittuntur : ita verbo & jussu Christi Mediatoris rursus, ubi opportunum visum fuerit, coërcentur, remonentur, & profligantur. Non secus, ac si Rex, animo non tyrannico aliquem, qui maleficus quidem sit, sed tamen regis vel cognatus, vel amicus, tradat carnifici torquendum : videns autem crudelitatem carnificis longius progredi, motus propter cognationem misericordia, carnifici indignetur, & increpatione duriori modum ponat tormentis. Hæc observatio præbet dulcissimas consolationes in cruce, si ei addantur argumenta, quibus Job utitur cap. 14. v. 2. & 3. Homo quasi flos & umbra est, & talem tu tecum in judicium adducis, &c. Conferantur huc similia loca. Ut, quod super surdum & mutum ingemiscit, Marc. 7. v. 34. fremit super mortem Lazari, & lacrymatur, Ioh. 11. v. 35. & 38. Illi enim gestus Christi dulcissimè depingunt id, quod scriptum est, Esbræor. 2. v. ult. & 4, 15. Nos habere misericordem & fidelem Pontificem, qui condolet infirmitatibus nostris.

## CAPUT XXXIX.

CONTINENS HISTORIAM DE VARIIS ÆGROTIS  
VESPERE ILLIUS SABBATI A CHRISTO SANATIS,  
MATTHÆI 8. MARCI 1. LUCÆ 4.

## RATIO ORDINIS.

DE ordine consequentiæ nulla prorsus esse potest dubitatio. Omnes enim tres Evangelistæ disertè dicunt, *vespere illius diei*, post curam tam Petri focrum, hæc accidisse.

HISTORIA DE VARIIS ÆGROTIS VESPERE ILLIUS  
SABBATI A CHRISTO SANATIS,

## MATTH. 8.

16. Οἱ λίαν δὲ γενομένην προσήεικον αὐτῷ δαιμονιομένους πολλὰς, καὶ ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγου, καὶ πάντας τὰς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν.
17. Ὅπως πληρωθῆ τὸ ρηθεὶν διὰ Ησαΐου τῶ προφήτου, λέγοντος : αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἔσάωσε.

16. Cum autem appeterisset vespera, adduxerunt illi demoniacos multos, & ejecit spiritus Verbo, omnesque male habentes sanavit.
17. Ut impletur, quod dictum erat per Esaiam Prophetam, cum ait : Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit.

## MARC. 1.

32. Οἱ λίαν δὲ γενομένης, ὅτε ἔδω ὁ ἥλιος, ἐφέροντες πρὸς αὐτὸν πάντας τὰς κακῶς ἔχοντας, καὶ τὰς δαιμονιομένους.
33. Καὶ ἡ πόλις ὅλη ἐπισυνήμενη ἦν πρὸς τὴν θύραν.
34. Καὶ ἐθεράπευσε πολλὰς κακῶς ἔχοντας πικίλαις νόσοις, καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλε, καὶ οὐκ ἤφει λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν.

32. Vespere verò cum occidisset sol, afferbant ad eum omnes male habentes, & qui à demoniis agitantur.
33. Et civitas tota congregata erat ad ostium.
34. Et sanavit multos, qui egrotabant variis morbis : Et demonia multa ejiciebat, & non sinebas loqui demonia, quod ipsum noscens.

## LUC. 4.

40. Δύοντες δὲ τὴν ἡλίαν, πάντες ὅσοι ἔχον ἀσθενείας ἢ νόσους πικίλαις, ἤγαγον αὐτὸς πρὸς αὐτόν.

40. Cum autem sol occideret, omnes qui habebant infirmos morbis variis, ducebant illos ad eum.